

vel propter nimiam et insensibilem parvitatem, non possit fieri materia hoc modo præsens, nec capax sit, ut in eam cadat forma; at vero postquam materia consecrata est, vel per partes, quæ postea conjunguntur et componunt nimis grandem magnitudinem, vel in toto, et postea separatur in quantitate nimis parva, jam non est necessaria prolatio formæ, nec præsentia, ut ibi Christus conservetur; et ideo, quamdiu ibi conservatur substantia panis, tamdiu conservatur præsentia corporis Christi. Exemplum esse potest de anima rationali, quæ per se separata consecrari non posset, seu caractere signari; conjuncta autem corpori, et quodammodo sensibilis effecta, consecrari potest, et postea separata consecrationem retinet.

8. *Solutio rationis contrariæ.* — Ad rationem autem in contrarium respondetur, ad priorem partem de termino magnitudinis, satis esse, quod singulæ partes potuerint consecrari, ut postea unitæ possint conservari. Ad aliam vero partem de termino parvitas, similiter dicitur partem illam minimam, per se quidem non esse sensibilem, esse tamen in toto; et hoc satis esse, ut consecrari in illo possit, et postea consecrata conservari. Et idem dicitur ad primam confirmationem. Nam satis est, ut illa pars in toto possit ad usum hujus sacramenti applicari. Ad secundam confirmationem respondetur, per se loquendo, magis pertinuisse ad stabilitatem et reverentiam hujus sacramenti, ut species consecratae, dum manent, indelebilem retineant consecrationem, et infallibiliter contineant corpus Christi; alia vero, quæ sunt per accidens, adhibita mediocri diligentia morali caveri possunt; præsertim, quia vix possunt naturaliter particulæ tam minimæ quantitatis separari, ut sint insensibiles, quin statim corrumpantur, vel ex vi ipsius divisionis, vel certe ex actione corporis ambientis.

9. Hic vero inquiri potest, an, si per Dei potentiam elevaretur oculus ad videndum particulam illam minimam, quæ naturaliter videri non potest, vel maximam illam quantitatem, ad quam oculus pertingere non potest, an (inquam) tunc posset consecrari. Probabile certe est non posse, quia illa materia per se est insensibilis, et absens sensibus. In contrarium vero est, quia hic et nunc jam sentitur, et potest tunc signo sensibili designari; nihil ergo deest ad veritatem sacramenti.

ARTICULUS III.

Utrum requiratur ad materiam hujus sacramenti quod sit panis triticeus (4, dist. 11, quæst. 2, art. 2, quæst. 1; et dist. 19, quæst. 1, art. 2, quæst. 3, ad 1; et 4 contra, cap. 68; et 1 Corinth. 11, lect. 7, in princ.).

1. *Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod non requiratur ad materiam hujus sacramenti, quod sit panis triticeus. Hoc enim sacramentum est rememorativum Dominicæ passionis. Sed magis videtur esse consonum Dominicæ passioni panis hordeaceus, qui est asperior, et de quo etiam Christus pavit turbas in monte (ut dicitur Joan. 6), quam panis triticeus. Ergo panis triticeus non est propria materia hujus sacramenti.*

2. *Præterea, figura est signum speciei in naturalibus rebus. Sed quædam frumenta sunt, quæ habent similem figuram grano tritici, sicut far, et spelta; de qua etiam in quibusdam locis panis conficitur ad usum hujus sacramenti; ergo panis triticeus non est propria materia hujus sacramenti.*

3. *Præterea, permixtio speciem solvit; sed vix invenitur farina triticea, quæ alterius frumenti permixtionem non habeat, nisi forte de electis granis studiose fiat. Non ergo videtur, quod panis triticeus sit propria materia hujus sacramenti.*

4. *Præterea, illud, quod est corruptum, videtur esse alterius speciei. Sed aliqui conficiunt ex pane corrupto, qui jam non videtur esse panis triticeus. Ergo videtur, quod talis panis non sit propria materia hujus sacramenti.*

Sed contra est, quod in hoc sacramento continetur Christus, qui se grano frumenti comparat, Joan. 12, dicens: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Ergo panis frumenti, sive triticeus, est materia hujus sacramenti.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. 1 hujus quæst., et quæst. 66, art. 3), ad usum sacramentorum assumitur talis materia, quæ communis apud homines in talem usum venit; inter alios autem panes communis homines utuntur pane triticeo; nam alii panes videntur esse introducti in hujus panis defectum. Et ideo Christus creditur in hujus panis specie hoc sacramentum instituisse, qui etiam panis magis confortat hominem; et ita convenientius significat effectum hujus sacramenti. Et ideo propria materia hujus sacramenti est panis triticeus.

Ad 1 ergo dicendum, quod panis hordeaceus competit ad significandam, tum duritiem veteris legis propter duritiem panis; tum etiam quia, ut August. dicit in lib. 83 Quæstionum (q. 61, circa princ., tom. 4), hordei medulla, quæ tenacissima palea tegitur, vel ipsam legem significat, quæ ita data erat, ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur, vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tanquam palea cordi ejus inhærebat. Hoc autem sacramentum pertinet ad suave jugum Christi et ad veritatem jam manifestatam, et ad populum spirituales. Unde non esset materia conveniens hujus sacramenti panis hordeaceus.

Ad 2, dicendum, quod generans generat sibi simile in specie; fit tamen aliqua dissimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativæ. Et ideo, si quæ frumenta sunt, quæ ex semine tritici generari possunt (sicut ex grano tritici seminato in malis terris nascitur siligo) ex tali frumento panis confectus potest esse materia hujus sacramenti. Quod tamen non videtur habere locum, neque in hordeo, neque in spelta, neque etiam in farre, quod inter omnia est grano tritici similis. Similitudo autem figuræ in talibus, magis videtur significare propinquitatem, quam identitatem speciei, sicut ex similitudine figuræ manifestatur, quod canis et lupus sunt propinquæ species, non autem ejusdem. Unde ex talibus frumentis, quæ nullo modo possunt ex semine grani generari, non potest confici panis, qui sit debita materia hujus sacramenti.

Ad 3, dicendum, quod modica permixtio non solvit speciem, quia id quod est modicum, quodammodo absumitur a plurimo, et ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus sacramenti. Si vero sit magna permixtio (puta ex æquo, vel quasi), talis permixtio speciem mutat. Unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus sacramenti.

Ad 4, dicendum, quod aliquando est tanta corruptio panis, quod solvitur species panis, sicut cum continuitas solvitur, et sapor, et color, et alia accidentia mutantur, unde ex tali materia non potest confici corpus Christi. Aliquando vero non est tanta corruptio, quæ speciem solvat, sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio saporis. Et ex tali pane potest confici

corpus Christi; sed peccat conficiens propter irreverentiam sacramenti. Et quia amyllum est ex tritico corrupto, non videtur, quod panis ex eo confectus possit fieri corpus Christi, quamvis quidam contrarium dicant.

Affirmat D. Thomas panem triticeum necessarium esse huic sacramento conficiendo; non videtur autem rem hanc ut certam definire, sed quia ita (inquit) creditur Christus in hujus panis specie sacramentum hoc instituisse. Quod duplici conjectura confirmat: unam sumit ex communi hujus panis usu, quia scilicet frequentius homines illo utuntur; alteram ex majori proportionem ad hujus sacramenti significationem; quia, scilicet, hic panis melior est ad vitam hominis roborandam et conservandam. In singulis vero argumentis, et solutionibus eorum singulas difficultates attingit statim disputandas.

ARTICULUS IV.

Utrum hoc sacramentum debeat confici ex pane azymo (4, dist. 11, q. 2, art. 2, q. 3; et 4 cont., c. 68, et opuse. 1, cap. 61, et Joan. 6, lect. 2).

1. *Ad quartum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non debeat confici ex pane azymo. Debemus enim in hoc sacramento imitari institutionem Christi. Sed Christus videtur hoc sacramentum instituisse in pane fermentato, quia, sicut legitur Exod. 12, Judei secundum legem incipiebant uti azymis in die Paschæ (quod celebratur decima quarta luna); Christus autem instituit hoc sacramentum in cæna, quam celebravit ante diem festum Paschæ, ut habetur Joan. 13. Ergo et nos debemus hoc sacramentum celebrare in pane fermentato.*

2. *Præterea, legalia non sunt observanda tempore gratiæ. Sed uti azymis fuit quædam legalis cæremonia, ut patet Exod. 12. Ergo in hoc sacramento gratiæ non debemus azymis uti.*

3. *Præterea, sicut supra dictum est (quæst. 73, art. 3, ad 3), Eucharistia est sacramentum charitatis, sicut baptismus fidei, ut supra dictum est. Sed fervor charitatis significatur per fermentum, ut patet in Glossa (interl.), super illud Matth. 13: Simile est regnum celorum fermento, etc. Ergo hoc sacramentum debet confici de pane fermentato.*

4. *Præterea, azymum et fermentatum sunt accidentia panis, non variantia ejus speciem. Sed in materia baptismi nulla discretio adhi-*

betur circa differentiam accidentium aquæ, puta si sit salsa vel dulcis, calida vel frigida. Ergo in hoc sacramento aliqua discretio adhiberi non debet, utrum panis sit azymus, vel fermentatus.

Sed contra est, quod extra, de Celebratione missarum (in decret., lib. 3, tit. 44, cap. Litteras, et est ultimum illius tituli), punitur sacerdos, quod in pane fermentato et scypho ligneo Missarum solemniter celebrare præsumpsit.

Respondeo dicendum, quod circa materiam hujus sacramenti duo possunt considerari, scilicet, quid sit necessarium, et quid conveniens. Necessarium quidem est, ut sit panis triticeus sicut dictum est (art. præc.), sine quo non perficitur sacramentum. Non est autem de necessitate sacramenti, quod sit azymus, vel fermentatus, quia in utroque confici potest. Conveniens autem est, ut unusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ in sacramenti celebratione. Super hoc autem sunt diversæ Ecclesiarum consuetudines. Dicit enim B. Gregorius in Regist.: Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commistione suscepit carnem, sed Græcæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo, quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ. Unde, sicut peccaret presbyter in Ecclesia Latinorum, celebrans de pane fermentato, ita peccaret presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum. Et tamen consuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior est. Primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc sacramentum instituit prima die azymorum (ut habetur Matt. 26, et Marc. 14, et Luc. 22), qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat, ut habetur Exod. 12. Secundo, quia panis est proprie sacramentum corporis Christi (quod sine corruptione conceptum est) magis, quam divinitatis ipsius, ut infra patebit (q. 76, art. 1). Tertio, quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum hujus, secundum illud 1 Corinth. 5: Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. Habet tamen hæc consuetudo Græcorum aliquam rationem, et propter significationem, quam tangit Gregorius (loco citat. in istomet articulo), et in detestationem hæresis Nazareorum, qui legalia Evangelio miscabant.

Ad 1 ergo dicendum, quod, sicut legitur Exod. 12, solemnitas paschalis incipiebat in vespera 14 lune, et tunc Christus post immo-

lationem agni paschalis hoc sacramentum instituit. Unde hæc dies a Joan. dicitur præcedere diem paschæ, et a tribus aliis Evangelistis dicitur prima dies azymorum, quando fermentatum in domibus Judæorum non inveniebatur, ut dictum est (in corp. artic.). Et de hoc supra notatum est plenius in tractatu Dominicæ Passionis (quæst. 46, art. 9, ad argum.).

Ad 2, dicendum, quod conficientes ex azymo non intendunt cæremonias legis servare, sed conformare se institutioni Christi. Et ideo non judaizant, alioquin et celebrantes in pane judaizarent, quia Judæi panes primitiarum fermentatos offerebant.

Ad 3, dicendum, quod fermentum significat charitatem propter aliquem effectum, quia scilicet panem facit sapiorem et majorem, sed corruptionem significat ex ipsa ratione speciei.

Ad 4, dicendum, quod, quia fermentum habet aliquid corruptionis, et ex pane corrupto non potest confici hoc sacramentum, ut dictum est (art. 3 hujus quæst., ad 4 argum.), ideo magis attenditur circa panem differentia azymi et fermentati, quam circa aquam baptismi differentia calidi et frigidi. Posset enim tanta esse corruptio fermenti, quod ex eo non posset confici sacramentum.

COMMENTARIUS.

Quid panis azymus, quidve fermentatus sit, ex linguis græca et latina, et ex usu conficiendi panem supponendum est; solet enim quedam massæ portio fieri ex materia decocta, et, donec acescat, conservari, et hæc græce vocatur azyme, latine, fermentum; ex qua portione admista farinæ subactæ panis conficitur, qui latine fermentatus dicitur, græce Ζωπῆτος; quando ergo panis fit ex sola farina et aqua naturali absque admixtione fermenti, dicitur azymus, id est, infermentatus, seu sine fermento, quo interdum utebantur Hebræi juxta suæ legis ritus; de hoc ergo movetur præsens quæstio, ad quam D. Thomas multa respondet. Primum, non esse de necessitate sacramenti, ut panis sit hoc vel illo modo confectus, quia utroque modo panis est, et id sufficit. Secundum, in unaquaque Ecclesia servandum esse proprium ritum, atque ita in Ecclesia Græca fermentatum panem, in Latina vero azymum esse de necessitate præcepti. Tertium est, in utraque consuetudine posse rationes convenientiæ inveniri, plures tamen et majores in usu panis azymo

præsertim cum in illo Christus consecraverit. Cætera, quæ D. Thom. habet in solutionibus argumentorum, clara sunt; solum notandum est, quod in solut. ad 4 dicit, tantam esse posse fermenti corruptionem, ut ex eo non possit confici sacramentum; indiget enim declaratione, quam trademus disputatione sequenti.

DISPUTATIO XLIV.

DE MATERIA PANIS, SEU REMOTA, EX QUÀ CONFICITUR CORPUS CHRISTI.

Disputatio sexta de Eucharistia. — In superiori disputatione diximus necessarium esse panem ad conficiendum corpus Christi Domini; nunc superest, ut dicamus, cujus naturæ et qualitatis oporteat esse hunc panem, quæ res Theologis est difficilis, quia pendet ex physica cognitione seminum seu granorum, ex quibus panis confici potest, de qua re frumentaria breviter attingemus solum, quæ necessaria fuerint; deinde legi possunt Plin., lib. 18 Histor., cap. 6 et seq.; et Varro, lib. 4 de Re rustica, c. 48 et seq.; et Galenus, lib. de Elementorum facultatibus, c. de Tritico; et alii multi, qui de re rustica, vel de re cibaria scripserunt. Nonnihil vero attingit D. Isidor., lib. 47 Etymol., cap. 3.

SECTIO I.

Ex quo grano oporteat esse confectum panem, ut sit sufficiens materia hujus sacramenti.

1. Quibus ex rebus panis confici solet. — Ut veniamus ad punctum difficultatis, supponendum est, panem ex triplici genere rerum confici solere. Primo ex fructibus arborum, ut ex castaneis, ficibus, et amygdalis, etc., et apud Indos dicitur confici ex radicibus. Secundo ex leguminibus, ut ex fabis, etc., quæ in siliquis aut teguminibus, vel folliculis crassioribus nascuntur. Tertio ex granis, quæ generali appellatione frumenta dicuntur; quanquam enim frumenti vox per antonomasiam triticum significet, tamen generaliter comprehendit omnia semina, quæ falce metuntur, seu quæ habent culmum, et aristas, et grana sine siliquis.

2. Secundo supponendum est, panem factum ex fructibus vel leguminibus non esse materiam consecrationis, in quo conveniunt omnes Theologi, quia hic non est panis simpliciter, sed secundum quid; nomine enim

panis intelligunt homines communiter quoddam genus cibi, quod adhibetur, tanquam comes aliorum ciborum; et ideo dictum creditur vel a voce Græca πῶν, quod est, omne, quia est veluti generalis cibus, vel a pascendo, quia illo maxime pascuntur homine. Unde in Scriptura sacra solet hac voce omne alimentum hominis significari. At vero panes confecti ex leguminibus, vel fructibus, non habent hunc usum, ut aliis cibis comites adhibeantur, sed potius ipsi pane comeduntur; et ideo non sunt simpliciter panes, nec materia hujus sacramenti, eo vel maxime, quod ii non sunt in communi usu hominum, sed interdum fiunt, vel ex accidenti propter defectum, vel sola causa voluptatis et deliciarum.

3. In quo sit difficultas. — Prima opinio. — Tota ergo quæstio revocatur ad panem frumentaceum, an qualibet species ejus sufficiat, vel tantum aliqua ultima vel subalterna. Prima enim sententia affirmat totum hoc genus sufficere, sive panis triticeus sit, vel hordeaceus, vel similes. Ita docet Gabriel, lect. 35 in can., ubi refert Thomam de Argentina, dist. 41, quæst. 4, qui simpliciter affirmare non audet, negat tamen posse contrarium satis probari; idem Gabriel ibid., art. 7; idem tenuit Cajetanus hic, quanquam in Romana impressione pars illa Commentarii expuncta sit. Fundamentum est, quia si ad institutionem hujus sacramenti recurramus, solum legimus, Christum accepisse panem, et in illo confecisse; si ad Ecclesiæ traditionem, solum docet panem esse materiam, c. Firmiter, de Sum. Trin., c. Cum Marthæ, de Celebr. Miss., cap. 4, et seq. de Consecr., dist. 2; ergo non licet nobis hanc materiam restringere; sed panis ut sic abstrahit et indifferens est ad omnem panem frumentaceum, et quilibet panis ex frumento confectus dicitur simpliciter panis, sive triticeus sit, sive hordeaceus, etc. Unde utroque legimus Christum esse usum, et præsertim de hordeaceo constat Joan. 6, et aliis locis: ergo. Et confirmatur, nam in Concil. Carthag. III, c. 24, et habetur c. In sacramento, de Consecr., dist. 2, dicitur, in sacramentis nihil aliud esse offerendum quam de uvis, et de frumentis; quodlibet ergo frumentum sufficit. Secundo est vehemens conjectura seu congruentia, quia materia sacramenti debet esse certa; si autem dicamus genus frumenti sufficere, erit certissima; si vero requiramus aliquam speciem, v. gr., tritici, erit nimis incerta, tum quia vix potest distinguere triti-